



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. V. Canis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIRER V.

DE IIS QUÆ PER CANEM SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD FLORIUM MARESIUM BELLUNENSEM.

B *U*li vero potius Canem meum, sacris quidem Ægyptiorum adytis educatum, sed mea huc adpeditum diligentia, dono dare debueram, quam tibi, mi Flori jucundissime? Quotiescumq; enim ea considerabam, qua sapientissimi illi viri per Canis hieroglyphica significari tradiderunt, dum divina mentis interpretem, dum sacerdotem, dum tutelares Deos, eo posito, subinnuebant, dum grati animi signum dum memoria & amicitie simulacrum, dum vatem, dum philosophum, ac ipsum literarum authorem Mercurium, fidem, obsequium, & plerūq; alia per idem animal intelligebant: toties mihi tui, qui alumnus meus es, species offerebatur; cujus studium in disciplinis, integerrimos mores, insignem pietatem, liberrimi benevolentissimiq; animi candorem & sinceritatem, tam longa multorum annorum experientia perspexissem. Sed parum existimabam hac me cogitationis hilaritate perfunctum, nisi rem ipsam scriptis etiam mandare studuissem, atq; ita longe affluentiori voluptate commemorando perfunderer. Hunc igitur ex omnium animantium grege delectum tibi dedicavi: non ut qua Canis fuerint significata docere mihi consilium esset, sed ut sapius inter scribendum relegendumq; obveneret, unde ego bonitatis tue frequentius memor, hac ipsa diuturnius jucunditate perfruerer. Reliquum est, ut ex benevolentissimo ejus ingenio meam erga te benevolentiam contemplere, perinde ac commendabiles ego mores tuos præclaris, qua Cani attribuntur, dotibus equiparare soleo; quippe qui existimem, speremq; velat ille ad Heroum, deorumque simulacra contemplanda naturæ ipsa promptissimus invenitur, tu quoque, quod non ignaviter facis, Canem vitæ quoddam exemplar tibi sis propositurus. Verum age, jam ex ipso commentario Canis ipsius ingenium exploremus.

SACRARUM LITERARUM PROFESSOR. CAP. I.

In primis autem rerum divinarum professorem per Canis effigiem interpretabantur: propterea quod eum, qui sacras literas professurus sit, id omnium plurimum meditari oportet, ut Canis instar assidue latret, hominum vitia numquam incesse-re desistat, animum ferum gerat, nullius profani gratiam ineat, quod & Canes faciunt in eos, quos herilis non esse familiæ, vel visu, vel olfactu deprehenderint. Tales apud Hebræos habentur Elias, Hieremias, Ezechiel, Osee, ac plerique alii. Talis apud Græcos cum primis Diogenes, cui Cynicus nomen, à Cane vulgo etiam dicitur, & ab eo Cynica familia, perpetua vitæ austeritate celebris. Cui quidem haud multum ab similibus altera per omnem pene orbem in nostram usq; diem propagata, quamquæ ea sanctioribus apud nos institutis, & verioris disciplinæ professione, laudabiliorisq; profanæ cujusque rei contemptu, sub eodem duplici panno, & perpetua pedum nuditate conspicua. Non defuerunt enim unoquoq; tempore, qui luxum & delicias aspernarentur, parvoq; & minimo contenti, cum vitam ipsi à vitis liberam profiterentur, impuros omnes reprehensionibus arguerent, castigarentque. Atque huc deniq; progredi debet sacerdos



Ministri
Serbi dicitur
ni munn.

H

cerdos

cerdos optimus, ut dum nullum flagitiosum hominem verbis incastigatum præterit, vel ipsam impudentiæ notam minime pertimescat.

PROPHETA. CAP. II.

Sane propter increpandi libertatē Prophetam ad similitudinem Canis, eique latranti Hujus significationis ratio alia apud Horum est: quia scilicet præter reliquorum animalium morem simulacris Deorum custodiendis Canes apponuntur, eaq; ipsi identidem intuendo videntur admirari, non secus ac Prophetam meditationi deditus, omnem cogitationis suæ conatum dirigit in Deum. Sane sanctorum antistes, sacerdotumq; & oraculorum interpretes, Livius Adastro Prophetas vocat, de quibus ita:

*Cum capita viridi lauro velari impetrant
Propheta, sancta in castre qui curant sacra.*

Animadvertendum est autem, omnem Canis usum aut à latratu, aut dentibus expeti. Ac de mordacitate quidem satis. Quod vero ad latratum facit, non ignoremus esse os interpretē eorum, quæ mens in penetralibus meditat: sane Prophetam vates itidem est, perq; os ipsa mens ex imis arcanisq; adytis oracula sua promulgat: frater enim mentis est os, mens vero verborum fons: atq; ita per os excogitata omnia, veluti fluentia de fonte profuunt. Sed enim, quia parum esset aliorum vitia damnare, deterrere, dilacerare, nisi ad rectā vivendi rationem omnia converterentur: ad ipsius (inquam) divinitatis contemplationem dirigerentur: cum Ægyptii sacerdotes animadvertissent Canem (uti ex fragmentis Hori dicebamus) præter aliorum animantium morem, ad simulacra Deorum aspiciere, firmoq; ea lumine contueri, quasi Prophetam idem faciitari soleat meditationi tantum deditus, unde per arcana Dei penetralia referentur, atq; is hinc futurorum scientiam aucupetur, & dissecus Canis hujusmodi congruenter admodum excogitarunt, qui artem hanc divinandi, teste Tullio, putantur longinquitate temporum innumerabilibus pene seculis consecuti, & ab his acceptum crediderim, quod Thrafsybulo cuidam inter Jamidas, ita ab Jamo, cujus meminit Pindarus, appellatos, celeberrimo, statua est Olympia posita per cuius humerum dextrum Mustela obreperet, & dissecus Canis exerto jecinore juxta jaceret. Quod vaticinii signum interpretor, cum nonnulli tradant Thrafsybulo à Cane vaticinium excogitasse. Nam & Mustelæ cor linguæ jejunæ suppositum, fatidicam mentem excitare ferunt Magi. Pausanias tamen incompertum sibi esse profitetur, quis primus è Cane vaticinia desumpserit: tamen Thrafsybulum scripsit solum hoc aruspiciæ genere usum, ejusq; rei conjecturam ex statua, quam in Olympia illi positam commemoravimus, desumi. Ut vero ad Prophetam

Prophetarum
munus.

Cap. 56. 10.

Phil. 3. 2.

Ezech. 3.
17. 18.

revertamur, Gregor. Pont. cum professores legum Sacerdotes appellari dicat, eosdem ait & Prophetas nonnunquam appellari consuetum esse, quod talem animum gerere debeant, qualem superius in Cane descripsimus: id quod à plerisq; minime præstari idem his verbis lamentatur: *Sæpe namque rectores in providi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere verba pertimescunt, & juxta veritatis vocem, nequaquam gregis custodia pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia Lupo veniente fugiunt, dum se silentio abscondunt.* Hos itaq; per Prophetam Esaiam Dominus increpat, *Canes mutos* eos appellans, *qui latrare nequeant.* Nec vero quis in vates & sacerdotes calumniæ ansam ex eo capiat, quod D. Paulus ait: *Cavete canes, cavete malos operarios.* Ambrosius de marinis eo loco intelligendum ait, quorum omnino munus tantum est, ut reliquum animantium genus depreudentur. Sed quam horrenda sunt quæ ad Esaiæ increpationem addidit Ezechiel: *Fili hominis, ait, speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annuncabis eis ex me: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaris ei, neq; locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Quod quidem eo periculosius est, ait Hesychius, quod ignavia hac pluribus est nocumento: sacerdos enim negligens, aut ipse peccans, aut non vindicans in peccatoribus, illicit eos qui rudes sunt ad similia, adeoque Legislator in Levitico, peccatum ipsius sacerdotis, *peccatum populi* appellavit.

CUSTODIA. CAP. III.

Id quod etiam ex Ambrosii sententia ad excubias pro salute dominorum refertur, debereque nos ait is, promptuarium tenere verborum, ne quasi mutæ Canes commissam nobis fidei custodiam, quodam prævaricationis silentio deseruisse videamur. Hoc eodem significato Theologi accipiunt illud

A illud ex sexagesimo octavo Psalmo: *Lingua Canum tuorum hostium intingetur sanguine, ubi per Canes, Christi ædium sacrarum antistites interpretantur: hi siquidem parandi sunt in adversarios, qui gregibus insidias meditantur, ut Oves ab omni hostium injuria tutæ custodiantur. Quam propemodum sententiam secutus Plato libro de Republ. II. ubi militem civitatis custodem informat: *Naturam, ait, generosi adolescentis, qui ad disciplinam hujusmodi educetur, nihil differre à generosi Canis ingenio, utrumq; ipsorum sagacem esse oportere, mansuetum erga suos, adversus autem hostes immitem.* Nam ea generosi Canis natura, ut erga familiares & notos sit mitissimus, adversus vero alienos & ignotos ferocissimus, quos simulac viderit, ægre ferre se indicat, etiam si nihil quicquam mali sit ab eis perpeßus, sufficereq; ad inimicitias satis habet, si qui recens venerit, non fuerit è domesticis. Non abs re igitur, qui D. Bernardi, viri de pietate Christiana optime meriti, vitam scribunt, matrem ejus ajunt prægnantem imaginatam in somniis esse, Catulum se candidum, dorso rutilum, & latrantem in utero gestare: unde illi à sapiente viro responsum, futuram eam optimi Catuli matrem, qui divinarum ædium custodiam susciperet, latratumq; assiduam contra profanos & impios exerceret. Hinc etiam canis comes & viator Angelum comitatur, quem Raphael in libro Prophetico non otiose sibi & Tobiasi filio adjungendum putavit.*

Plin. lib. 8.
c. 40.

D Bernardi
di matris
somnia.

Tob. c. 4.

DII LARES. CAP. IV.

E Adem ratione Canes apud Ethnicos Laribus præfides fuisse dicuntur, Deosque ipsos Romani ideo caninis pellibus induerant: quod sicuti Canes mites mansuetique sunt in domesticos, in alienos vero feri, formidolosique, ita & Lares, quibus totius familiæ cura credita esset, haberentur. Proditum sane memoria est Iliados Minervæ templum in Daulia fuisse, in quo Canes alerentur, qui Græcis tantum adventantibus se mites, mansuetos ac ludibundos offerrent: in barbaros vero feri, atroces ac indignabundi semper irruerent. Neque defunt hodie barbarorum nationes aliquot, quæ Canes hostium cadaveribus quoquo modo conquestis alant, eosque in prælia mox ducant, quibus in hostem immittis scedissimæ interdum stragis spectaculo perfruantur. Æsculapii simulacro, quod Epidauri fuit, à Thrasymede Pario Arignoti filio elaboratum, Canis adsculptus assistebat, cum Deus in throno sedens dextera baculum teneret, lævam supra Draconis caput porrigeret, cujus meminit Pausanias. Ejus argumenti eam ait historiam fuisse, quod Æsculapius in solitudine Titthei montis expositus ab avo Phlegya, cujus filiam Apollo clam compresserat, à Capella alitus, & à Cane custoditus fuerit.



Barbari in
vobis orbe.
Plin. lib. 8.
c. 40.
Æsculapii
simulacrum.

ARBITER GENIUSVE. CAP. V.

Sed aliam Chrysippus rationem cur Lares Caninis tergoribus velarentur, attulisse dicitur: quippe quod ipsi genios præ se ferunt, qui custodiæ nostræ ideo tanquæ arbitri sint delegati, ut improbe factorum ditorumq; poenam à nobis exigant, sceleraque & impietatem omnem ulciscantur, quotiens humanitate posthabita in brutorum vitam declinaverimus, quam ipsi genii, non secus ac facillimi Canes insequantur, & ad merita supplicia pertrahant. Hoc ipsum Censorinus, multis aliorum opinionibus allatis demum affirmat, esseq; genios ita assiduos nobis observatores appositos, ut ne puncto quidem temporis longius abscedant. Atque hi sunt, qui nos nonnunquam impellunt, sæpe revocant, prout nunc salutaria, nunc perniciofa appetierimus. Sed nostræ pietatis author, ne ab aliis hæc queramus, Genios custodia nostræ appositos, & affirmavit, & Dei patris faciem eos quotidie contueri commovit. Merito itaq; Laribus (quando iidem & genii sunt, nos Angelos dicere maluimus) Canis, utpote tutelare animal, hieroglyphice dedicabatur. Sed non sine piaculo videor mihi præterire posse, quod apud veteres scriptores legi, Vulcani templum apud Etnam Sicilia montem fuisse, cujus lucum incoherent Canes, qui caste pieque aduentibus adblandirentur: impuros vero impolitosq; rem quasi divinitus præfagientes miserabiliter lacerarent.

lib. de die
natali. c. 3.

Matth. 18

Vulcani
templum.

EX his itaque factum ut Ægyptii vespillonem sacrorumque tutelarem, ædituumq; libitinarium per Canis effigiem indicarent, observato firmo illo immobilique obtutu, quo animal id ipsa Deorum hominumque simulacra custodia sua credita contemplatur. Nam cum apud Ægyptios cadavera vitro condita, non adipe fuillo, ut nonnulli sunt interpretando decepti, in longum tempus asservarentur, erantq; & libitinarii quibus curæ erat ea custodire, eo spectare crediderim Canem apud Massas Romæ in pulcherrimi operis cippo humi jacentem, furrecto vero capite inscriptionem, quæ hujusmodi est, intuentem.

C. JULIO URBANO ET
JULIÆ OPTATÆ CON-
TUBERNALI, ET C. JU-
LIO URBANO PECU-
LIARI FILIO

POST.  SUI.

GRATUS ANIMUS. CAP. VII.

NEque tamen ignoro esse aliquos, qui hujusmodi hieroglyphicum, quo scilicet Canis vel simu- lacrum aliquod, vel conditum cadaver intueretur, hominem beneficii accepti memorem significare contendant. Canis porro illos, qui de se benemeriti fuerint nunquam oblivioni tradit, cujus rei paulo post mirifica quædam exempla subjiciemus.

MEMORIA. CAP. VIII.

Macrob. in
Saturn. c.
20. sub fin.

UNde & memoriæ simulacrum Canis est, quæ scilicet circa præterita versatur: & in prudentia tripitio, id sibi vult caninum caput, cum Leoninum, intelligentiam, & præsentium considerationem: Lupi vero caput providentiam, ac perinde futura indicet, quod alibi diffusus explicavimus. Socrates quoque tunc per Canem jurat in Phædro, cum illam Lyfiæ orationem memoriæ tradidisse firmiter arbitratur.

FIDES. CAP. IX.

C. Mamilli
numus.

IN Phædrone vero per Canem jurat, cum puta fidem & obsequium præstandum iis, qui rerum habenas in civitatibus moderantur. Sane C. Mamilli numus est, qui limitibus metandis S.C. præfectus aliquandiu fuit, in quo Canis ei videtur allattare, eo quippe significato, ut fidem præstandam in primis admoneatur is, qui negotio ejusmodi præficitur.

AMICITIA. CAP. X.

Fidei inCa
ne exem-
pla

EJus vero fidei ratione habita hieroglyphicum pro amicitia plerumq; Canis ponitur, in qua quidem primum fides expetitur ex Ciceronis & omnium sententia: mox animus, si usu veniat, ad promerendum promptissimus. Mirifice vero spectatur in Canibus illa officiosa adeo dominorum adulatio. At hic mihi temperare nequeo quin amoris & fidei exempla quædam commemorem, quæ in ipsis Canibus elucescere plerumq; comperiuntur. Nam Leuctricas puellas tres à Spartanis juvenibus quibusdam constupratis, mox occisas & in puteum dejectas indicio Canis Scedaso patri peregre advenienti, & latratu & cursitatione ad puteum fuisse proditas, nunc dissimulabo alia quædam majoris forsan admirationis tepetiturus. Confollo enim intestinis bellis cive Romano, ajunt non potuisse quempiam caput ejus abscindere, usquequo Canem, qui dominum custodiebat, proque eo ferociter pugnabat, ab instantibus interemptum summotumque vidissent. Ambrosius refert, occiso Antiochiæ milite, Canem cadaveri comitem adstitisse, qui dum ejulatu mæsto rapti domini desiderium diu testaretur, ingentem hominum coronam ad fidelitatis spectaculum contraxerit, donec eo inspecto qui eadem patraverat, in eum insilierit: tamque diu prehensum continerit, donec re patefacta, percussor sit in supplicium raptus. Illud vero præcipue est admiratione dignum, quod ab Æliano traditum est: Colophonium quendam una cum servo & Cane, mercatum in Joniam concessisse ad urbem Theon, cumque servus, qui pecunias ferebat, naturæ satisfactorus aliquantulum à via descessisset, loculo humi deposito immemorem abiisse, Canem ad ejus custodiam perflitisse, donec illi re infecta, quod pecuniæ non aderant, rediissent, Canemq; in eodem loco apud marsupium offendissent.

A sent, qui quod absq; potu, ciboq; diu perseveraverat, ita reddito deposito expiraverit. Sed quid illud quod apud Plutarchum de Pyrrho fertur? nempe eum aliquando factum obviam Cani, qui ceciderat herile custodiebat, ubi triduum absque cibo permanerat: quod cum Pyrrhus sepeliri iussisset, Canem sibi diligenter curandum imperaverit: evenit ut haud ita multo post Pyrrhus exercitum lustraret, assidebat regi Canis, tacitusque quiescebat, cum interim interfectores heri, nomina daturi praesto fuerunt, exiliit statim Canis ubi eos adesse vidit, magnoq; hostes latratu incessens ad Pyrrhum identidem respectabat, ut non illi solum, verum omnibus qui aderant facti suspicionem concitaret ingentem. Correpti igitur illi, minimisque quibusdam indiciis conquisiti, (caelus confessi sunt, atque ita poenas iussi pendere. Fuit & alter Pyrrhus ab rege illo, qui tantae fidelitatis Canem habuit, ut cum mortuus & in rogo positus esset, subsecutus itidem Canis in pyram sese conjecerit, & concremari pertinacissime voluerit. Fuit & Polo histioni apud Graecos celeberrimo Canis, qui post impositum rogo dominum, in eadem sponte se conjecerit flammis: & alius eodem quo saltator Theodorus sepulchro conditus fuerat, Catellus includi voluit. Jamque & Eupolidis Poetae comici Canis Augeas nomine celebratur, qui mortuo sepulchroque domino praemore & ipse contabuit, erepti domini desiderio tandem extinctus.

PHILOSOPHIA COMMUNICATA. CAP. XI.

Hieroglyphicum & Cerberus argumentum habet: Graecorum enim nonnulli non incongrue *Cerberi my-
thologia.* forsan existimant, abstractum Herculis opera ex obscuris Erebi penetralibus tricripitem Cerberum, patefactam ab Heroe Philosophiam, quae prius in arcanis delitescere, indicare. Ea vero una cervice contenta, tribus distinguitur capitibus, quorum unum Rationi, Naturae alterum, tertium Moribus inservit. Unde praeter edomita tot monstra, Herculem ipsum ferunt sagittas in Junonem jaculatum, & Plutonem etiam telo, ut Homerus inquit, trifulco fauciasse. Philosophus enim vir, dum solerti indagine sublimia quaeque peruestigat, naus aliquid, captum dignum, mente veluti pennato quodam utitur telo, donec quicquid illud fuerit assequatur: Neque quidem locus ullus est, neque abscessus tam remotus, tam abditus, tam inaccessus, quo non pervenerit Philosophia.

C Terrae siquidem haec penetralia perferuntur, quod est Plutonem ipsum telo impetere, atque etiam ferire, hoc inquam est rerum naturam enancisci, tot in orbe terrarum monstra domitat, ferinos quippe mores componit, & civilibus, honestis & utilibus legibus addicit: ut de Poeta Flaccus etiam ait:

--- Peñus, praeceptis format amicis,
Asperitatis & invidia corrector, & ira.

Horat. lib.
de art. poet.

Coelum demum incendit & inde quicquid rationi obnoxium esse potest aucupatur, cunctaque prospectat, & ad amussim omnia num recta sint, explorat. Hercules ad haec clavam, qua heros is fuerit in domitandis monstribus usus, Philosophiam, monstra vero animi vitia significare interpretatur in Floridis Apulejus. Atque, ut ad Cerberum revertar, sunt qui rem simpliciter accipiant, caninis eum capitibus effectum a Poetis, propterea quod Tartareus custos habeatur. Historiam tamen Hecataeus Milesius super eo tradit, Serpentem in Tanaro fuisse, quem ea de causa Canem appellarint, quod morfu esset admodum lethifero, hominesque quos icisset, statim interficeret, eumque ab Hercule deductum ad Eurysthea. Sed haec scriptorum semper fuit licentia, ut ex commodo quisque suo fabulas confingeret. Mihi autem magis arridet figmentum prius positum, qui tam praclaros viros tam erudite rem ipsam interpretari videam.

ANUBIS. CAP. VII.

Ademus & Anubim Deum per Canis effigiem ab eisdem Aegyptiis figuratam: de quo veteres quidam historici prodidere, una eum cum Osiride gigantes ex Italia pepulisse. Canino vero capite fuisse eum, eo commentum, quod Ididis & Osiridis corpora custodierit, quod, uti dictum est superius, Canibus est admodum peculiare: eaque de causa Canem galeis inculpi morem esse, quod in veterum numis complaculis observavi.

Sedenim super Anubi Plutarchus longe eruditius rem perscrutatus, remotiora disciplinarum penetralia recludit, ac terminatorem in sphaera circulum per Anubin in fabulis, per Canem inscriptione sacra hieroglyphica significari tradit: quippe qui Nephthyn apud Aegyptios inferius hemisphaerium esse contendit, Isin verò superius: lucidum hoc & diurnum, obscurum illud & nocturnum; utriusque verò participem Anubin, qui & interdiu & noctu visu pariter fruatur. Eandem enim vim apud Aegyptios Anubis habet, quam apud Græcos Hecate, cui supra & inferna dedicarunt. Nam cum triceps effingeretur Hecate, unum omnino caput Caninum, Equinū alterum, humana verò figura tertium adsculptabantur: quod tamen hispida & rusticana facie simulabat, cuius picturæ hieroglyphicive causam in Equo latius enarravimus.



SATURNUS. CAP. XIV.

Sunt qui per Anubin Saturnum interpretentur, quòd omnia ex sese pariat: atque ita sit & Luminis, & tenebrarum particeps: quia materia obscura est, forma verò conspicua. Qui fabulas de iis, quæ rerum inito facta fuerint ab Oromaze, memorant, caelo inquirunt & astris fabricatis custodem eum adhibitum, atque hinc Canis figmentum excogitatum.

PRINCEPS. CAP. XV.

Præter ea quæ jam posita sunt de Cane significata, sacerdotes iudem Aegyptii, si Principem aut Legislatorem significare vellent, Canis hieroglyphicum cum diademate, sive fascia, vel amiculo faciebant, reliqua corporis facie nuda: propterea quòd veluti *levisomna Canum*, ut cum Lucretio jocer, *sido cum pectore corda* in Deorum simulacris diligenter observandis detinentur: sic etiam Princeps, qui iura sit daturus, Regem qui antea cto tempore claruerit, nudum contemplari debet, quidque sibi velit ea fasciola, examinare: id quod omnium maximè Periclem Atheniensem facitare solitum perhibent. Quotiescumque enim is Magistratum aliquem inibat, ipsa honoris delati insignia, & unumquodque gestamen pro concione alloquebatur, quid ea sibi vellent, qualem virum poscerent percontabatur, seque mox ad personam quam induebat, strenue decenterque gerendam adhortabatur, tanta omnium admiratione, ut non immerito eum & tonitrus & fulgura ciere prædicarent, apesque mel in os ejus infantis coniecisse faterentur. Quod vero fascia regium sit insigne, ostendimus commentario de Gestaminibus reliquis. Atqui Ptoemphanes populi ex Africa parte Canis non effigiem, pro Principe coluerunt, sed vivum ipsum pro rege sibi delegere, cujus motum observabant, ac ex eo quid faciundum, ubi standum, quo progrediendum, religiosissima quadam auguratione intelligebant.



Pericles
Magistratum
inibatur
quid facie-
bat.

MILES. CAP. XVI.

Abque fascia verò Canis, copula tamen religatus, non incongruum est sacramento additi militis hieroglyphicum copula scilicet obedientiæ iuramentum præ se fert: Canis verò ipse militis officium, quod præcipuū est, intentum esse ducis imperio, sive iter arripiendum, sive pugna in eunda sit, sive ubi receptui cani ceptum ad signa redire: quæ quidem obsequia à Canibus observari quoti-

A quotidie videmus. Quid vero illud, quod si inter se Canes rixentur, offeraturque fera æque illis in-
 visa, facta statim inter se pace unanimiter in feram convertuntur? cujusmodi decet milites esse, qui
 tametsi inter se aliquando dissideant, adversus tamen communes hostes unanimiter preliantur, cu-
 jusmodi exemplum in L. Syllæ legionibus habemus, quæ cum perniciofa seditione furerent, effera-
 tis Imperator annunciari iussit hostem adesse, & ad arma vocantium clamorem tolli, atque ita dis-
 cussa seditio est, univèrsus adversus hostes animum intendentibus. Et Scorilus (vel ut alii, Cocis, *Simile quid-
 dam narvat
 Q. Curtius
 lib. 9. de Su-
 dracia 15
 Malis:*
 seu ut alii, Cocio) Dacorum Dux, cum dissociatum bellis cuilibet pop. Roman. intellexisset, neque
 tamen fortunam tentandam arbitraretur, metuens ne externo bello pax inter cives conciliaretur,
 hortantibus suis, & acriter deposcentibus occasionem arripiendam, duos ille Canes in conspectu
 popularium commisit, iisque acerrime inter se pugnantibus, mox Lupum emisit, quem protinus
 Canes, omissa inter se ira, uno statim animo aggressi sunt: eoque exemplo Dux ipse continuit bar-
 baros ne pugnam inceptarent, temerario impetu Romanis profuturo. At ea quoque generositas ani-
 mi requiritur in strenuo milite, ne is, ut super Anea Virgil. neque averfos dignetur sternere morte,
 nec imbecilles provocare bellatores aut armatus inermes, aut vir feminas, puerosve. Comperta est
 hæc eadem in Canibus animi magnitudo, velut in eis, quos Albanix rex Alexandro Macedoni do-
 no misit: nam cum ex duobus quos habebat unum huic dedisset, exploraturus Alexander animalis
 vigorem, iussit Urfos, mox Apros, & deinde Damas emitti: ille vero contemptu immobilis jacebat.
 Sed enim Alexander segnitie tanti corporis offensus, eum interimi iussit, quod ubi Regi nuncia-
 tum, alterum misit, addito, ne in parvas belluas experiri vellet. Imperator itaque Leonem primo,
 moxque Elephantum induxit, quos Canis statim stravit: cujus insignem pugnam Plinius accuratif-
 sime descripsit xi. octavi libri capite 12.

MENAPII. CAP. XVII.

Mhime mirum igitur, quod in canone provinciarum & militum, qui à Constantino usque ad
 Theodosium, Honorium, & inferiores plerosque alios, sub Imperatore Romano militabant,
 clypeus habebatur, in quo luteus Canis in alba parma, cujus medium pelta rubra occupabat, hic
 vero Canis inferne positus sub ipsa pelta pedibus sursum versis, erat is ejus ordinis insigne, qui Mx-
 napii dicti, sub magistro militum per Thracas stipendia faciebant.

TERTIODECIMANI.
 CAP. XVIII.

Canem eodem gestu inversum in altero clypeo vidi, sed qui carulei coloris esset, parma identi-
 dem alba, cujus umbilicus aureus, quem ruber circulus ambibat, ab altero densioris luti caru-
 leo ipse quoque circumscriptus, insigne hoc erat TERTIODECIMANORUM, qui ejusdem militiae
 ordo fuit sub eodem magistro militum.

OBSEQUIUM. CAP. XIX.

ERat & illud hieroglyphicum, quod Egyptii Sacerdo-
 tes obsequium, & ad domini iussa nutumve regressum si-
 gnificare si vellent, Canem converso in dorsum capite pingebant. Nullum porro animal Cane magis est dicto parens, quem
 abeuntem facillimo vociferatu revoces: etiamsi sit jamiam cap-
 turus prædam, increpitus intermittat, iussus insi qui provolet:
 eum denique quotiens erit libitum ultro citroq; verteris. Theo-
 logi nostri veteres dictum illud ex Ecclesiaste, *Melior est Canis
 vivus Leone mortuo*, ita interpretantur, ut obsequii istiusmodi
 rationem habuisse videatur: nam per Leonem mortuum, ait
 Eucherius, cacodæmonem intelligunt, de salute nihil ulterius
 sperandum est: non enim potest ad penitentiam redire. Per Canem autem vivum aberran-
 tem quidem, & interdum contumacem hominem accipiunt, qui tametsi nonnunquam prævaricator
 fuerit



Ecclesiæ. 9.

64
Memorable
Canis
obsequium.

fuerit & cervicosus, ad obsequium tamen & meliora reduci potest. Et, ut ad Canis morigerum admodum ingenium revertamur, libet ex Plutarcho memorabile obsequii facillimæque docilitatis exemplum in animali huiusmodi recitare, idque in theatro Marcelli, spectatore Vespasiano, editum. Mimus eo quidam Canem introduxit omnibus fere saltationibus eruditum, qui cum ægritudinem postmodum simularet, panem Mimus porrigebat, eo detractio pharmacum propinavit, mox is trementi similis cruciari, distorqueri, capitisque gravæ laborare visus, demum quasi mortuus concidere, seque exporrigere, permittereque ut quoquo verum traheretur, huc & illuc abijceretur, uti fabulæ commentum exigebat. Opportune autem cum res posceret, se tanquam è profundo aliquo somno concitatum, prostratis demum, & signa quædam veluti lætitiæ & exhilarationis edidisse, atque alia pleraque magna omnium admiratione colluisse. Hæc author ille testatur, qui nihil unquam ineptè moliri deprehensus est. Sed quod pertinet ad obsequium erga dominum, habet hoc Canis commune cum Suibus, de quibus compertum, ait Plinius, furto abactos, agnita voce suarii, merlo navigio inclinatione lateris unius, ad dominum remeasse.

ADULATOR ET SCURRA. CAP. XX.

Diogenis
scomma in
Alexandri.

Sunt qui adulatorem blandiloquum, & mordacem simul scurram, per Canis hieroglyphicum ostendant, quorum

Alter in obsequium plus æquo pronus & alter

Qualibet in quamvis opprobria fingere solus:

Diogenica hæc est interpretatio, ipsius de se testimonio. Nam is interrogatus ab Alexandro, ob quæ facta Canis nomen vulgo sortitus esset: *Quia, inquit, dantibus blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo.* Quin & conjectores, ut apud Hebræos legimus, eum qui per nocturnam quietem imaginatus sit Canem videre, obrectatoribus objectum fore præfagiunt. Alexander idem dum sibi lusum quærit, sportulam Diogeni ossium plenam dono misit. Accepit eam Cynicus, & superaddidit: *Caninus hic quidem cibus, sed donum baudquaquam regium,*

Ibidem D.
Laertium.

FAMES. CAP. XXI.

Caninam quandam famem memorant, quam Græci *βυδύλια* appellavere, nos *Esuritionem* dicere possumus: utcumque Davides hanc eruditissime tetigit Psalm. 58. ubi canit: *convertentur ad vesperam, & fame conficientur ut Canes, civitatem hac illac pervagantes,* cum futuram Judæorum mendicitatem præfagiret: nam & ipsum famis vocabulum frequenter pro mendicitate usurpatum invenias.

DESPICATUS. CAP. XXII.

IN Sacris litteris plurimum invenias Canem pro re humili, abjecta & contemptibili positum, Quam sermonem ne quis Neapolitanorum tantum esse putet, de Mephiboseto Jonatæ filio legimus, cum insperatis à Davide beneficiis affectus esset, & continuo mensæ Regiæ sodalitis dignatus, dixisse eum, humilitatem professus suam: *Ecquis ego sum servus tuus, ut respiceres super Canem mortuum, cui ego sum similis?* Et David ipse, cum Regem suum Saulem se hostiliter insectantem in manibus solum habuisset, chlamydis regiæ oram præcidisse contentus, subsecutus eum clamavit: *Quem persequeris, Rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum persequeris.*

2. Sam. 9. 7.
1. Sam. 24.
15.

FUGA. CAP. XXIII.

Quod si fugam notare voluerimus, Canem identidem, sed subjecta inter crura cauda, figurabimus. Hieroglyphici causam, nemo eorum quos in hoc argumento sequimur, explicavit. Eminentum ego à re ipsa dubio procul sumptum crediderim, vulgato in hæc tempora proverbio, ut eum qui animum despondeat, vel ab incepto propter ignaviam percussus meticulose desistat subijcere eum inter crura caudam, subijciamus. Quotiens enim Canes fugam arripiunt, præ metu abacti, caudam inter crura subijciunt. Quod cum insigniter etiam Lupo observatum sit, Maro elegantissime rem ipsam descripsit, ut suo loco dictum est.

Etiannum
Gallico.

Æn. lib. 11.

CLA.

CLADIS PRÆSAGIUM. CAP. XXIV.

A IN Aruspicina memoria proditum est, huiusmodi gestum caudæ utero subiectæ, in victimis quæ adolerentur, futura cladis præsigium dedisse: obtorta vero si foret cauda, bellorum difficultatem portendere, ut apud Didymum legere est.

VICTORIÆ PRÆSAGIUM.

CAP. XXV.

A Liter autem cursum perciti, seu prædam insequantur, seu temere lasciviant, surrectam, aut exporreciam caudam habere solent: cuiusmodi effigies est in numo C. Posthumi, in quo certere est currentem Canem cauda ita uti dicebamus, sursum versus incurvata, quod quidem in hostiis crematis observatum ex aruspicum disciplina futura victoria portentum erat. Sedenim numo eo currentem Canem, celeritatem significare conijcimus ex jaculo, quod est inferne situm: unde rem properanter confectam, victoriamve cito partam, si sequamur Aruspices, id indicabit.

C Posthumi
numus.

IMPURUS AMATOR. CAP. XXVI.

Sunt etiam qui satis impuros amatores expriment per simulachrum Canis, non ea tantum de causa, quod *κύνων*, ut Eustathius interpretatur, *κύνων* quod amare est, deducatur, sed quod Lepores avidiori quodam affectu confectetur, quorum significatum inter nequitias improbrores reposuimus. Neque quidem Ovidius signate magis Apollinis affectum incomparabilem exprime-
re potuisset, quam luculentissima ea, quam ponit comparatione, his versibus decantata,

Metamorph.
lib. 1.

*Ut Canis in vacuo, Leporem cum Gallicis arvo
Morsibus eripitur, tangentiaq; ora relinquit.
Vidit, & hic prædam pedibus porit, illi salutem. Sic Deus & Virgo est, hic spe celer, illa timore:
Alter in hæstro simili jam jamq; tenere Qui tamen insequitur pennas adjuvas Amoris
Sperat, & extenso stringit vestigia rostro: Ocyor est, requiemq; negat.
Alter in ambiguo est, an sit comprehensus, & ipsis*

LIENIS VITIA. CAP. XXVII.

C Hominem qui aliquo splenis vitio affectus ægre habeat, quæque in universum ad lienam attinent, Aegyptii Sacerdotes per Canis hieroglyphicum significabant. Gracilimum enim ac tenuissimum lienem Canis habet, quod vel mors, vel rabies eum invaserit, à splene est, quinetiam illi ipsi qui correptum rabie Canem medicare voluerint, morbum contrahunt, ac splenetica plurimum ea labe affecti pereunt: & qui Canem eo morbo laborantem dissecuerit, ea afflatus exhalatione, contagionis vim efficacissimam experietur. Urina quoque rabiosi Canis quomodocumque calcata nocet, maxime ulcus aliquod habentibus. Quin huius lotii, etiam non rabidi, tam perniciofa vis est, ut si quis in id suum conjecerit, ad generationem pigrior torpore lumborum fieri dicatur. Proinde rabido Cani contagiosum adeo virus inest, ut omnia rabiant, quæ momorderit, excepto homine, Nam quæ illi accidit ex huiusmodi contagione lues, mania est, ut eruditissimi hac ætate viri disputant: nam & Festo rabies proprie morbus caninus est. Quod verò scribit Aristot. Canes ipsos interire morbo hoc, & quæ morsæ sunt, *πλὴν ἀνθρώπων*, nonnulli clari quidem viri *πρὸς* legunt, ut celerius, quam homo, intereant, exponant. Sedenim ut ea missa faciam, quæ hominibus à rabioso Cane morbis accidisse longo post tempore Albertus & Avicenna prodidere, legi apud Plutarch. rabiem in homine non fuisse cognitam discretamve ab aliis morbis Aristotelis tempestate, neque inde usque ad Asclepiadem cuiquam innotuisse. Ceterum hæc ipsi viderint clarissimi viri, qui rem enucleandam susceperunt. Illud ego super hoc addam, uniuscujusque Canis morsum tam perniciosum esse, ut ferant, eum qui semel fuerit à Cane laesus, pestilenti contagione Gallinarum incubitus, pecorum factus, & abortus inventu suo vitare, ejusque introitu alterius vulnera aggravari,

Rabiosi Ca-
nis Virus
contagiosum.

OLFACTUS. CAP. XXVIII.

Sed ut ad Canis significata redeamus, olfactum Aegyptii sacerdotes per id animal inter alia significabant, nempe eum qui, quod prius latuisset indagine sua deprehendere, ex huiusmodi hieroglyphico

phico intelligebant. Satis enim constat olfactum esse Cani præcipuum, de cuius sagacitate (eam enim præcipue Canibus attribuit Cicero, & à sagire, quod acutè sentire est, deductum asserit) plurima passim videntur exempla. Dominum enim qui vel diutissime abfuerit agnoscunt olfactu solo, & ignotum quoque si repente veniat. Scrutantur venatu in vestigia atque persequuntur, contantem ad feram inquisitorem loro retrahentes, etiam si aquam ea transfilerit, & abditissimo quovis loco sese occultaverit. Illud sane quotidianum in Canibus, præcipue Gallicis, ut quem prius numum alicui eorum ostenderis, abducique mox è conspectu Canem iusseris; ac sub aliquo tapete vel stragulo numum eum abdideris, introductus mox Canis ac numum inquirere iustus olfactu solo fractus rem tibi quamprimum deprehendat, latebrasque ubi numus erat absconditus, & latratu, & exultatione significet.

RISUS. CAP. XXIX.

*Medicorum
super risu
opinio.*

Quia vero Canis circa lienem ea quæ supra memoravimus patitur, totaque animalis vita inde pendere videtur, factum est ut Ægyptii Sacerdotes quæ super risu considerarent, per Canem identidem explicarent. Rarissimum enim vel difficillimum esse risum iis qui splene laborant, Medici tradunt, & ea est Canis prærogativa ut is à venatoribus maxime expectatur, qui faciem magis, ut vulgo ajunt, melancholicam præ se ferat: signum enim id esse bonitatis ajunt, pernicioresque, & in cursu perseverantiores, qui tales sunt, esse prædicant, Apud Avicennam legas lienem ea ad recidipere & attrahere, quæ sanguinem benignum, clarum, copiosum & lucidum reddant, quem inde risus & hilaritatis causam autores esse putant: quippe quod ex ita affecto sanguine spirituum excitetur multitudo, claritasque animam exhilaret. Sed enim hoc utcumque habeat, conjectores etiam, ut apud Artemidorum legere est, ex plene in somnis viso & risum, & voluptates augurantur. Canibus verò cum lien & tenuis, & vitio maxime obnoxius sit, necesse itidem est hoc hilaritatis affectu aut nihil, aut parum moveri. Ab iis vero quæ vel absunt, aut supra modum adsunt animali cuiuspiam, Ægyptii significationes suas comminiscébatur. Accidere vero facile potest, ut alicujus hominis memoris natura hujusmodi sit indicanda, ut in M. Crasso, qui ob id Agelastos vocitatus, ut in C. Lælio, & in Socrate, quos eodem semper vultu eademque fronte fuisse, proditum est.

LEVITAS IN MORIBUS. CAP. XXX.

Verum habet suum & risus ipse significatum. Interpres enim Apollonii risum levitatis signum esse dicit, unde sapienter Isocrates, importunum risum minime amandum esse monuerit.

CULTUS CANIS. CAP. XXXI.

*Cyru à Canis
nutritum.*

Sane aliæ quoque nationes, quanti animal id facerent, multis exemplis testatum reliquere. Et Cyrum prædicant, Cyrum illum, inquam, omni laude majorem à cane nutritum suorum omnium asseveratione, sive studiosè conficta fabula fuerit, quo venerabilior haberetur. Quippe apud Romanos etiam in magno fuere cultu, licet à Capitolii prodicione eos in crucem rapere sit coeptum. Annuo enim supplicio inter adem Juventutis & Summani, vivi in furcas arbores sambuceæ figebantur, quod eorum negligentia jactura ea facta videretur. Alioqui genito mane Catulo, res divina hostiarum vice fieri solita, adeo puros eos ad cibum existimabant, adeoque numinibus placandis idoneos, fuisseque olim celebriores epulas catulina apposita, nostrorum scriptorum testimonio satis exploratum, & apud Plautum etiam factam hujus rei mentionem invenias, Saturione.

QUIBUS DIIS CANES SACRI. CAP. XXXII.

Quibus vero Numinibus Canes donarentur, dicere non pigeat. Siquidem Romani eos Genetrix, Græci Proserpina macabant: vulgo vero Lupercalibus, quæ Romani in Panos Lycæi venerationem celebrabant, Canem immolabant; quoniam natura ipsa Lupis Canes advenarentur. Alii cæcum hoc in Romuli gratiam facitari tradunt, uti constans fama est eum à lupa nutritum. Sacra tamen hæc primum ab Evandro instituta nonnulli asserunt, Maroniano præcipue versu freti.

EVAN.

*Evander gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycai.*

En. lib. 2.

Ceterum apud Argivos Cyoniae Deæ propter partus facilitatem sacri erant. Sed animadvertendum est plerisque locis Cyoniae vocabulum corruptum esse scriptorum negligentia, qui lyoniam fecere: vel quod arbitrati sunt à solvendi partum facilitate vocabulum corformatum. Apud Lacedæmonios Marti Canis propter audaciam & invadendi promptitudinem offerebatur: eorum enim ephēbi inter se certaturi, priusquam certamen inirent, Canis catulum illi Deo, utpote fortissimo, victimam ex cicuribus validissimam offerre se arbitrabantur. Ex aliis Græcis nemo, ut Paulanias ait, præter Colophonios, talibus sunt operati: hi enim Catellam nigram Triviæ sacrificabant. Et Caribus mos fuit Canem immolare, unde *καρῖνδν θυῖμα*. Erant & Canaria apud Romanos auspicia, Canaria quibus apud Catulariam portam rutilæ Canes, non procul scilicet à rubro colore, sacrificabantur, ut *quid.* ait Attejus Capito, cum pro frugibus contra uredines atque sævitiam Caniculæ sideris faciebant. De sacrificio huiusmodi Ovid. Factorum 4.

*Pro Cane sidereo Canis hic imponitur aris,
Et quare fiat nil nisi nomen habet.*

Plerique tamen ideo factum dicunt, ut flavescerent fruges ad maturitatem perducerentur. Sidus enim Caniculæ frugibus est admodum inimicum. Non ignoramus autem Thracas cum alibi, tum Præcipue in Zerintho Samothraciæ antro, nihil fere libentius immolare, & epulari solitos, quam Canem, memorabili Euripidis nece, qui propter mactatum ab eo Canem, (ut nonnulli ajunt,) ab Archelai Canibus interceptus, miserime laceratus est. Quamvis alii dicant Aridei Macedonis, & Crateri Thessali invidorum opera, quod gratia plurimum polleret apud regem, Canes eas immittas fuisse, corrupto pecunia Lysimacho, earum curatore.

IMPRUDENTIA. CAP. XXXIII.

Nam id quoque Canis est significatum, eaque de causa apud Homerum Helena se Canem accusat: quod abominanda tot malorum causa atq; author fuerit, ita Heclorem allocuta dicitur *εἰ μὴ οὐκ ἔκρινες κακομηχανῶν ὄργανόν ἐστιν.* Apud eundem Agamemnon quoque accusatus ab Achille *κυνὸς ὄμματ' ἔχειν.* Nam, ut apud Pollucem legimus, Canis oculum habere dicitur is, qui nimio plus impudens est, cui si etiam importunitatem adjeceris, Homeri ejusdem *κυνόμας* feceris pro impudentissimo, Muscæ scilicet & canis ingenio copulato. Cynomyjam Euthymius sylvestris Muscæ genus agnoscit, quod inter cætera Muscarum genera est impudentissimum, de qua Psalm. 77. quamquam super hæc alibi. Hanc Catullus impudentiam expressit, ubi Acmen codicillos reddere pernegantem, Canem censet appellandam. Et Mathematici impudentem litigatorem ostensuri, duobus Zodiaci locis canino capite hominem statuunt; secundo quippe Arietis gradu, & Capricorni xvii. Sed nos hic de ea loquimur impudentia, qua quis fretus, projustitia vel pietate audeat unumquemque vel ex potentioribus hominem erroris admonere, vel impunitatis arguere, dummodo spes profectus affulgeat, nec importuna temeritatis in vitium prolabitur.



PETULANTES JUNIORES. CAP. XXXIV.

Non præteribo hic militarem ordinem eorum, qui PETULANTES JUNIORES appellabantur, sub magistro militum per Illyricum: ii enim, ut assumptum nomen hieroglyphica pictura testarentur Canem luteum in rubra parma præferebant, in cujus medio orbis erat coloris lutei Canis, superne pedibus, quoad fieri poterat, exporrectis. Sane quidem, ut veterum quorundam est interpretatio, in Divinis literis Romani milites, qui Pilato præfidi adfistebant, Canes vocantur.

Pilati Canes,

tur, uti Psalm. 22. *Circum dederunt me Canes multi*, quippe qui secundum legem immundi censerentur, atque admodum etiam impudentes essent, conspuendo sacrosanctam Domini faciem, caput ejus arundine percutiendo, coronam spineam affigendo, & omni opprobrii genere cœli Regem deludendo, uti ejus ministerii mortales penes omnes. Eoq; Theologi trahunt Domini dictum in Evangelio: *Non decere sumptum de filiorum manibus panem dare Canibus*. Quæ quidem notæ si à Canino genere elui possent, nihil ferè inter animalia rationis expertia Cane venerabilius haberetur, ut qui non civitates modo sibi honori positas habuerint: quod ab Alexandro Magno factum esse, amissa Cane Perthæ nomine, Theopompus ait, verum etiam longe majora præconia monumentaq; secundum Ægyptios ritus omnino meruisse videantur.

JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER VI.

DE IIS QUÆ PER CYNOCEPHALUM,
SIMIAM, ET ID GENUS RELIQUA
SIGNIFICANTUR.

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD CÆLIUM CALCAGNINUM.

UCUNDISSIMUM illud hospitium, quod mihi apud te per duas continuas hebdomadas Ferrarie fuit, effecit, ut ea omnia incommoda, quæ perpessus eram jaculansq; omnes, quæ in tanta rerum conversione feceram, inciperem oblivisci. Nam cum tu me Romana clade perterrefactum, neque non Florentina urbis, atque aded totius Italiae turbationes & motu fugientem, otii tandem cupidum in patriam meae recipere festinantem, jungere iter jussisses, & apud te dies aliquot commorari, invitatis quotidie viris licentibus præstantibus, magnam morori meo consolationem adhibuisti, suavissimisq; illorum sermonibus agritudinis totius acerbis delinivisti: præcipuè verò eruditissimo Manardo illo tuo sapienter vocato. Ea demum fuit utriusq; humanitas, ut nunquam apud quempiam alias hilarius acceptum me meminerm: ita uterq; vestris me lucubrationibus certatim oblectare contendebat: tu, dum remotissima quæq; profundissime eruditionis arcana, apud auctores veteres delirescentia, è tenebris eruebas; ille dum Medicinæ Philosophiæ quæ loca pleriq; abstrusosq; sensus, & longa annorum serie ad hunc usq; diem ignota, multis agritudinibus remedia luci dare adnitchatur. Hinc factum, ut ego à vobis tali refectus cibo, cum primum ad Ægyptiacam meam Commentaria datus es reditus, vestra memor liberalitatis, qui me nullo laborum vestrorum fructu fraudare voluisti, statim cogitarim amicitiam tam honesta de causa olim vobiscum initam, aliquo testimonio comprobare. Atque ita Cynocephali Ægyptiaci Commentarium (id enim ob varietatem ipsam præcipuè placuit) nomini tuo nuncupari. Argumentum quidem, nisi me studiorum meorum ratio fallit, fortè non indignum, quod tu tante viri eruditionis evolvas, quo in legendo, tamen si nihil tibi lectionum omnium belluoni novum occurrerit, saltem, ut mea erga te benevolentia signum sit atque monumentum, opto.

CAP. I.

NAm Cynocephali, quem Latine *Canicipitem* interpretabimur, hieroglyphica, tum multa sunt, tum eo nullum apud Ægyptios sanctius animal, neque sacratius fuit. Eadem pene forma est, qua